





Ch. 25., 6

卷之三

Vg

6403

Jo. Majoris  
Parentalia anniversaria Ph. Melantionis  
1569  
c. effigie.

14, c. - . (21)

Q.K. 25;

Kat. I, 276.


烟水仙

26.

PARENTALIA  
ANNIVERSARIA, NO.  
NVM FACTA, VIRO DE ECCLE-  
SIA Dei uiuentis, & humano genere optimè  
merito, D. PHILIPPO ME-  
LANTHONI, &c.

A

IOHANNE MAIORE IOACHL  
mo Doctore Theologiz.



ANNO 1569.

42

3415

ЛІДАРУН ЯНТ

ЛІДАРУН ЯНТУХ

ЛІДАРУН ЯНТУХ

ЗІСЧІНЯ СІДІВІ

ЗІСЧІНЯ СІДІВІ



5 +

# PARENTALIA.

O Qui res hominū Rex Christe, hominumq; Sacerdos  
Æternis regis imperijs, & numine seruas, (dos,  
Esto bonus, nunc tempus adest: Te nanq; gerentem  
Contra Erebi portas bellum, implacabile bellum  
A mundi genitali æuo, Dominumq;, Ducemq;  
Exigui coetus, sed quem tamen agmine facto  
Hostes innumeri tot circum insultibus urgent,  
Te te Christe tui Flatus iam tela capessens  
In partem, auxiliumq; uoco: Da uincere caussam.  
Et decus alme tuum, magnis quod motibus, ac ui  
Sacrilegum, ignotum genus, ex Acheronte remissum,  
Viperea illuuiies, tua pulcra examina Flaci,  
Oppugnant, Furijs agitata, & numine læuo:  
Da scelerum artificem ueris confundere dictis,  
Atq; aperire nefas, totiç; exponere mundo  
Confectum inuicta Verbi uirtute, metuq;  
Vibratæ lucis caussaç;, animoq; cadentem.  
Hic tibi miles ero, diuinaç; scripta PHILIPPI,  
Cuius uita prius, Venerisq; micantior astro  
Virtus, iusticiæq; labor, candorq;, fidesq;  
Aureaç; in primis doctæ moderatio linguae, (cto  
Hic mihi carmen erant: Sed enim nunc carmine san  
Dicta Philippe tua, & Christum spirantia Scripta,  
Aurea, Barbarici defendam à crimine Flacij,  
Quem tabe Eumenidū maledicta Calumnia pascit,  
Et periura manus fanda, atq; infanda papyro

A ij

Asper

Aspergit, quicquid confusæ mentis inhalat  
Spiritus, & Typhon. Ventosa uolumina cudit  
Plena nigri salis, & Stygio redolentia felle,  
Turgida præstigijs, fumis, caligine, bullis,  
Autolyci furtis, tricis, erroribus, umbris,  
Barbarie, coeno, fuco, ferrugine, fraude,  
Latratu Thersitis, & horrisono ululatu,  
Spurcitie, foetore, simo, liuore, ueneno,  
Tabe Lycambæa, prauis affectibus, armis,  
Marrana de gente nothum quibus instruit armis  
In nostrum genus, has terras, stirpemq; futuram,  
Doctrinamq; D E I, Quo solo uindice neruo  
Pax stetit, atq; impunè Duces mansere quieti  
Consensu tali, & forma pietatis eadem,  
Hæc pax, ægra domi magna iam parte uacillat:  
Pro ratione furor, bellum pro pace, simultas  
Pro candore, Fides nusquam amplius integra terris,  
Nec bellum, sed seditio est, Ceu cætera nusquam  
Bella forent, Nulli pro libertate, Fideq;  
Sæuitia ALBANI Belgis morerentur in oris.  
Hos fructus tua Erynnis, & execranda reliquit  
Scribendi Cacöethes, & auri infanda cupido,  
Qualis bruchus edax, uariataq; pelle figuris  
Erucæ illuuiies, & stridula turba cicadæ  
Ex Cuculi sputo liquidas generantur in auras,  
Et de Cerbereis aconita nocentia spumis.  
N A M furiale malum quoru est sub mente receptum,  
Omnes per mortes animas demittit Auerno,

O do-

O dolor, ô nostri factum miserabile secli,  
Vnum impunè virum capere, & peruertere mentes  
Tot Procerum, & uulgi, Ceu succis impia Circe  
Transtulit in Porcos comites sapientis Vlyssis.  
Si bellare paras, & uerè patria cordi  
Relligio est, ut magna uiolant, & inania semper  
Dicta tibi, Haud longè quærenda inimica virum uis,  
Sunt tibi scita Patris Latij, sunt impia sacra,  
Sunt hostes, Quòd si sacer est furor, & tibi Mauors  
Tantus in ore sedet, facito, atq; hos aspice contrà,  
Aggredere, & sceleratā animam Latio eripe Papæ,  
Nos sinito, & sanctam factis ne disiice pacem.  
Cur non quæ colitur Christi pro numine crustæ  
Maiestatem adimis, Qua stante in honore deorum  
Stabit honor Papæ, stabit uiolentia, & omnis  
Errorum fomes: Si nescis, illa malorum est  
Sola seges, sola illa caput, quòd cassa geruntur  
Prælia cum Turcis, nec amat uictoria nostros.  
Illa pijs animis solatia uera, Tibi q;  
Christe tuum in se se prædatrix uertit honorem.  
At tu monstra Deum hæc, indicta, intacta relinquis,  
His animam inspiras, His tu socia agmina iungis  
In speciem diuersus, at unus sensibus ijsdem.  
Per te, per qui te stimulis niger excitat ales  
Hostibus est aditus datus, & uia lata nocendi.  
Nam cum concilium Fidei de rebus haberent,  
Et spes consensus fieret iam tempore capto,  
Nec nostri tanto cessarent cardine rerum

A iij

Vti

Vti fortunā, Sed enim diffidere causa  
Inciperent, Verbi manifesto lumine uicti  
Sacrilegi proceres, Prō irreparabile damnum,  
Tu Furia iiii medium ueniens, Victoribus obstas,  
Et neruum incidens diuinum opus omne resoluis,  
Intestina nouans de lanis bella caprinis,  
Atq; inter fratres uerbis odia aspra mouebas:  
Per Te tot periēre bona interrupta, Solutum  
Per Te concilium, Per Te instrumenta parantur  
Excidio nostræ Fidei, qua sydera adimus,  
Et patriam hanc prodis, libertatemq; parentum.

Respice ad hoc, Ego te, nisi lucem ferre recusas  
Ceu Cacum ex antris, producam ad lumina Solis,  
Te Tibi commonstrans, Ut qui sis alter ab illo,  
Infensus Christo Latīs qui præsidet aruis.

Hinc igitur primos aditus, exordia prima  
Instituam, Vos hæc audite ô mentibus æquis.

E V E N T U R A canens grauium spectacula rerum  
Codicis occulti scriptor, dum uera figuris  
Occulit, Hæc nobis fatorum arcana reliquit:  
Agmina bina uirūm, caput exertura, suosq;  
Mentitura choros coetum, & commercia Christi.

Horū quod prius est, haud Christi coetus, & hæ.  
Sed Lupa turpis erit, quæ iura iniuria condens (res,  
Pestis erit Christi gregibus, spargetq; rapaces  
Cæde manus: sed & ampla, potens tamē, æmula Di-  
Diues opum, diues collectæ gentis, & auri, (uis,  
Qua cum Terrarum domini, quicq; optima terræ

Arua

Artia tenent, blandè data inibunt scèdera, & hausto,  
Ora mero tinguent, quod ei Venus impia turpi  
Contulit ex quæstu: Sed & auri multa talenta  
Conquirent passim, conducti extrudere merces  
Incestæ, & turpi pollutæ crimine mortis. (lorum

Sed chorus ist Lupæ latebra est immunda ma  
Spirituum, qui triste sacrum sine numine Christi  
Exercent aris, nec Christo digna loquuntur:  
Atq; ideo uox ipsa Dei demissa per auras  
Excudit, O properate fugam, atq; excedite ab illa,  
Nulli fas populo sceleratum insistere templum.  
Illud atrox, plenumq; ausis furialibus agmen,  
Per simulacra Feræ septem capita alta ferentis  
Gentibus ostensum est, Quæ diro immanis hiatu  
Magna ignominia Patrem, natumq; cœnum  
Ætherei Patris afficiet, nec digna relatu  
Congeret in cœlum conuicia, & aspera dictu,  
Bella pio importans generi, Cui plurima terris  
Turba tamē, genibus minor, atq; acclivis humili gens  
Vota dabit, positis figens donaria templis:  
Sed non nominibus locus his in codice Vitæ est.

ALTERAB HOC PORRÒ COETUS SE PROTINUS OFFERT  
Alterius per signa Feræ, Quam numine plenus  
Prædixit Vates terris consurgere in altum  
Mole sua erectam, cui circum tempora, & aures  
Stat geminum cornu, tegit illam lana, quod Agni  
Instar habet, si non sua uox alia esset ab Agno,  
Tristè sonans, crudi uoces imitata Draconis,

Hic

Hic labor, hic prudentis opus, ne lumine captus  
Quisq; ex his monstris aliquod prece pronus adoret,  
Nec generis signum accipiat, morémue sacrorum.

Nanq; utriusc; Feræ simulacrū, & prouida imago  
Magna repræsentant examina, magna uirorum  
Agmina, & ingentem numerū, densamq; coronam,  
Conuentusq; hominū, Sacrorum ex more cōactos,  
Quorum uterq; cupit censeri, & nomine dici  
Concio uera Dei, Quamuis ea subdola recti  
Imponat multis species, & lumina fallat:  
Ceu dupli insertus uitro cruor ille Draconis  
Suaue rubens, rutilam mentitur imagine gemmam,  
Nec sit gemma tamen, sed inanis, & æmula forma,  
Grataq; fraus oculis, & amica, at falsa uoluptas.

Quòd nisi quis generisue nota, signóue Ferarum  
Insignitus erit, sacrisq; indulserit ijsdem:  
Continuò instabunt odijs, & criminè ficto  
Lethum intentabunt furijs immittibus acti:

Et chorus iste uirūm ulterior, formāq; habitūq;  
Cornuaq; ostentans Agni, Exemplaria sancta  
Scilicet, & Verbi speciem, & cœlestia scripta,  
Signorumq; usus in sacris rebus agendis  
Venditat ad populos, & solo nomine gaudet,  
Sed non ipsa subest Agni natura, nec ipsas  
Res tenet, aut Agni uocem exprimit ille loquendo.  
Sed blasphema loquela, sed atri lingua Draconis  
Sibilat in labris, & uibrat ab ore uenenum,  
Sæuit cæde, Feræq; imitatur facta prioris,

Spargens

Spargens toxica dira, & non innoxia uerba,  
Externa specie dispar, par rebus, & ausis,  
Falsa Dei uerbis affingens sensa loquendo,  
Pectore, & ore Draco, saltem ipsis pellibus Agnus.

Aspice, Qui cœtus hodiè, Qui, quæso, manipli  
Fundamenta tenent eadem cum Præsule Romæ  
Assertore Dei quem dicunt uoce Maozim :  
Quis numen Cereale Papæ stabilire uidetur,  
Et paribus firmat telis, ac addit honorem,  
Contra omnem Fidei rationem, & signa sacrorum :  
Qui nam abiurati rursum se in castra receptant  
Romani Antiochi, Christum auersantis acerba  
Inuidia, & Verbo contraria sensa sonantis : (mens,  
Qui : Nisi fex hominum quædam impurissima, & a  
Plena odijs, rixæ cupida, & candoris egena,  
Cassa Deo, flatuq; tumens, inimica quietis,  
Seditione potens, naturæq; error, & ingens  
Prodigium, populi, atq; ducum communis Erynnis,  
Ignoto coniuncta uiro, socia agmina Flacij,  
Flectere qui superos nequiens, Acheronta mouebat,  
Doctrinæq; nouum genus eructabat, & illud  
Tàm benè compositum, & multo sudore refectum,  
Tàm planum, & sanum, tàm spinis omnibus expers,  
Conuellebat atrox, & Fur subducere mella  
Venturæ soboli, sua sputa reponere certat,  
Lucem subtrahere, & furuas inferre tenebras,  
Mandere Curruçæ sobolem, nothaq; oua cacare,  
SED quibus in causis, quibus auxiliaribus armis  
Nos feriunt, Papam firmant? aduerte, docebo:

B Cym

us  
et,  
go  
n,  
s,  
  
n,  
  
m  
  
A  
  
B,  
  
2  
  
I  
  
4  
  
ns

Cum doctrina Dei tractata sine ordine, multis  
Sparsa uoluminibus toti increbescere mundo  
Auspicijs Luthere tuis, operaq; fideli  
Ceperat, Et tenebras uerbi fulgore fugasset:  
Paruus homo, & consors operæ cum uate Lutero  
Dispersumq; uagumq; & nulla lege reuinctum  
Relligionis opus, succincto tramite in orbem  
(Vt nucis exiguo qui tegmine clausit Homerum,)  
Digessit, captu facile, ornamenta recidens  
Ambitiosa, parum claris dans lumen apertum.  
Is præcepta Patrum, & uatum monumenta piorum  
Arguta repetit forma, & fastigia rerum (strat  
Summa sequens, nexus, & consona foedera mon-  
Cum ueterum dictis, ubi nondum irrepserat Orbi  
Barbaries immunda Papæ, nec inania sacra  
Prostarent aris passim, in quæstuq; federent.  
Hic Labyrinthæis è flexibus eruit Artes,  
Doctrinamq; piam spinis, nodisq; Sophorum  
Implicitam, expedit rursum, atq; eduxit in auras,  
Vt uincitam Andromedam soluit uictoria Persei.  
Tum quantum, & quoties decepti errore recedant  
A Fidei ratione uagi, docet omine claro,  
Acribus & dictis Christi pro numine certans  
Nata recens, & ficta olim portenta refellit.

Sunt acies geminæ, duplexq; est ordo uirorum  
Qui Christum insequitur dictis: Petit alter honorem  
Numinis, & uerbis naturam oppugnat amaris,  
Et uerum cum patre Deum, de numine numen,  
Naturaq; patris genitum abnuit impia lingua,

Cav

B

Ceu

Ceu recutita cohors, Quiq̄ ilia fœda profudit  
Arius, inq̄ tribus plures distincta propago,  
Seu uetus, aut nostris quæ deinde repullulat annis  
Ex Stygio reuocata lacu, quorum ædere nomen  
Relligio est, animusq; horum meminisse refugit.

ALTER ab aduerso chorus, omnē auertit honorē,  
Omne decus, Christi meritorum, & munera tanta  
Sanguine parta suo, cæca caligine tendit  
Obruere, & famam prædari ingentibus ausis,  
Quòdq; Patris dicto parens, Legem implet agendo,  
Et tot acerba ferens letho occubat, èq; sepulcro  
In lucem reuocatus adeſt, Hæc munera, & omnem  
Tantorum decorū famam extenuantq;, premuntq;  
Hanc uertunt in facta hominum, hæc iniussaq; tol-  
Supra iussa Dei, super & præcepta Tonantis, Clunt  
Seq; reos uoti faciunt, uitamq; sequuntur  
Expertem tædæ, sacrifq; operantur iniquis,  
Doctrinam temerant quæ portus & aura salutis  
Exponit Christi benefacta, Premuntq; tenebris  
Diuinæ Legis rationem, aduersaç; sensa  
Pelagi de more ferunt, quòd nostra facultas  
Ex seſe ualeat præcepta faceſſere Legis  
Quantum mensuræ satis, & quantum exigit ordo,  
Sed necq; de uenia, nec quæ ſint tædia culpæ,  
Nec de labe animi, nec quæ fiducia Christi,  
Nec benè de signis sacris ſententia conſtat,  
Ergo ſuperſtitio ritus imponit inanes,  
Atcq; nouum designat iter ſine ſanguine Christi  
Ad ſuperos, nouus Antiochus, Romanus Asylas.

B ij Hvnq;

Hunc contra opposuit fortis se corde Melanthon,  
Errores retegens, & Verbi fulmine ab aris  
Deiecit simulacra Deum, dictisq; refellit  
Infandos sacrorum usus, firmisq;, pijsq;  
Scripturæ indicijs elicit inania scita.

Haec tam composita, & studio repetita fideli  
Sancta, tenax doctrina Patrum, Vatumq; priorum,  
Repperit aduersos tamen, & qui inducere contrà  
In theatru auderent aliena, incondita, praua. (longo

Dux gregis est Flacius, Quem circum examine  
Excipiunt, sacer ordo uirum, stipantq; rudentem  
Cognatae pecudes humana uoce locutæ,  
Haud odio, uelut antè, uiri, quem sæpè timoris  
Arguerant, sanctæ suadentem commoda pacis,  
Verum aduersa uiri Doctrinæ tela ferentes,  
Quam liquidis Vatum, patrumq; è fontibus hausit,  
Et λόγο arcana Patris de mente reclusit,  
Huius fundamenta parant conuellere frustra  
Argutis nugis, ut concita machina quondam  
Ingruit in muros, & saxa crepantia uulsit,  
Vni animis olim, & socialia membra sacrorum,  
Nunc profugi, atq; hostes penitus ueriq;, boniq;,  
Nunc abiurantes uerum, ac diuersa professi.

Te Patris omnipotens, & inenarrabile VERBUM  
Haudquaç esse DEI NATVM clamoribus urgent,  
Nec te NATE Dei dici cognomine VERBUM.

Expediam, quo fonte malus furor ille resultet:  
Nempe Dei VERBO cùm tantum ascribit honorem,  
Totq; potestates, maiestatemq; uerendam,

Vimq;

Vimq; facultatemq; & ius, & dona salutis,  
Littera cœlestis: Mox ipsi pectore lœuo  
Esse putant ipsam scripturam, & condita uerba  
Hoc ipsum, de quo saltem sermone ferebat  
Littera, ceu testis uerax, & Numinis index. (Arr̄j

Nanq; malū hoc inde est, Quòd cum cōsortibus  
Quorū equidem in multas species se distrahit error,  
Ipsum, atq; omnipotens, unū, & quod sorte sua stat,  
Naturale Dei V E R B U M, quod Patre resultans  
Spiritus, & uita est, & quod Deus ipse uocatur,  
Nondum animis nouere suis, nec lumine recto:  
Cum tamē id uerbū quod sacro in codice scriptū est,  
Respiciat tantūm Patris hoc uenerabile V E R B U M,  
De quo multa modis multis testatur ad aures,  
V E R B U M, quod fragilis sumisit sibi uiscera carnis.

E s t etiam illa frequens Iudææ insania gentis  
Scriptis uelle notis magicum conferre uigorem,  
Vimq; potestatemq; Dei, Cùm sensibus orba,  
Et uita careant: Sed enim ratione sinistra  
Ex his litterulis æternæ munera uitæ  
Promanare putant. Sed & ultrà uoce feruntur,  
Quòd cœlo ueniat nobiscum in uerba per illas  
Ipse Deus, mentesq; Deum exaudire loquentem  
Edita Scripturæ capiunt cum uerba per aures.

Ergo illa ratione Deus per mutua dictis  
Iudææ ingreditur genti, cum fortè Cauernis  
Conuentus egere suis, & inania uerba,  
Et sine mente sonos ipsi retulere magistri:  
Quod procul à uera longè ratione repulsum est.

B ij Hoc

Hoc ex fonte tamen Flacij deducitur error:  
Abnegat iste Scolam diuini Numinis illam  
Quod caros natos proprij cum Flaminis arte  
Edocet: Auditusq; animo interiore receptos  
In Fidei affectu ueræ: Summiq; Parentis  
Propensum numen patefactum sensibus imis  
Abnuit, Ignarus quo nunc quoq; more, modoq;  
Audiat ipsa Deum credentum turba per orbem,  
Et quo more Deus sermone utatur ad illam.  
Nam quia subsistens patris, & sine origine Verbum  
Nondum animo nouit, nondum quoq; nosse necesse  
Quo medio pater omnipotens in uerba uenire (est  
Sueuerit humanæ menti, & mortalibus ægris.

Præterea externis medijs, rebusq; creatis  
Alligat ipse Deum, cum sit liberrimus actor.  
Sic etenim Solymæ firmatur opinio gentis  
Quæ ligat externis cœlestia numina rebus.  
His etiam dictis palantia pectora uulgi,  
A Christo auertens ad sola elementa reducit.  
Sic honor, & summi libertas summa Tonantis,  
Et uis omnipotens, Si stat sententia Flacij,  
Adficitur probro, Veluti scola Stoica quondam  
Alligat ad causas numen cœleste secundas.

Deinde Palestinæ gentis de more profatur  
Haud nostri generis, nec nostri Flacius ortus,  
Vnica quòd saltem diuini Numinis extet  
Iusticia, in geminis olim patefacta tabellis:  
Cum te Nate Dei uiuentem in pectore nostro  
Iusticiam Pater esse dedit, Opiferq; uocaris

Quod

Quod meritum nobis, simul & tua numina donas;

Sentit item, externam Scripturam in codice sacro  
Esse Dei Verbum proprium, uium illud, & unum;  
Hic te Christe Deus, Verbum sociabile carni,  
Obscurat, penitusque tibi decus eripit omne.

Adde quod & Samij blasphema inuenta reducēs  
Contendit dictis, quod sancto in codice VERBVM,  
Significet propriè uerbum uocale, sonumque  
Externum quendam, Non illud originis expers,  
Patre Deo natum, per quod Pater omnia finxit.  
Sic neque persuasum sibi habet, quod Patris imago,  
Quod sis Christe Deus, similis per omnia Patri.

Nam uelut abnuerat Samij sententia Christum,  
Esse Dei VERBVM natura, numine, honore,  
Quamuis fassus erat quod uerbo & uoce peregit  
Cuncta sua Genitor, cum mutua dicta dedisset  
Vatibus & proauis: Tamen illud deinde fuisse  
Quoddam aliud uerbū, quam uiuax illud, & Ipsum  
Per quod cuncta Deus liquidas produxit in auras,  
Quodque in principio coniunctum numine eodem  
Pone Deum assidue hærebat, iuxtaque manebat:  
Haud aliter malus ille Dei nunc fingere uerbum  
Ausus erat quoddam, per quod se rector Olympi  
Coetibus electis manifestum prodat, & illis  
Verba bonus faciat, Quodque hoc non esset id VNUS  
Per se subsistens, VERBVM Deus, autor & orbis,  
Qui Patrem astiterat iuxta, præstóque fuisset,  
Instrumentum operum cunctorum in origine mundi,  
Sed sonitum externum saltem, uerbū æthere cassum.

Hinc

Hinc erat, hinc illud, quod tota negatur ab ipso  
Dictio, s v b s i s t e n s, quæ sensu attingere suevit  
Æternum, uerumq; Dei, coelesteq; numen,  
Arius ut negat hanc, iunctusq; Sabellius ipsi,  
Hanc tamen, hanc ipsam sancta exemplaria uocem  
Seruant, & fundamen habet: Tamen impius erro  
Flacius, hanc ipsam ferre, atq; admittere nescit,  
Ne te nate Dei cogatur deinde fateri  
Quòd sis ipse Dei uerum, & uegetabile V E R B U M,  
Numine stans proprio, numen cum Patre cōæuum.  
Insuper obtendit, quòd non satis omne claro,  
Et quod sufficeret, patefactum in codice sacro est  
Quod tu Christe D E I sis V E R B U M, ui propria stans,  
Nec quenq; esse locū, quanq; ampla uolumina Vacū,  
Quā tu Christe Dei V E R B U M uitale uoceris. ( uero  
Quid tamen hoc monstri est, Nisi quod pro nomine  
Non habet, & negat esse Deum te maxime Christe.

Hinc ergo exagitat Scripturæ ex fontibus hausta  
Dicta, quibus docta diffinit uoce Melanthon  
Qua ratione Patris V E R B U M tu Christe uoceris.

I N D E rūdimentum sanum de nexibus unis  
Naturæ geminæ, quas non confundit in unum,  
Affirmans unam personam ex germine utroq;  
E medio tollunt, penitusq; elidere certant  
Audax, fronte carens, reprobū genus, agmina Flacijs.  
Et noua, inaudita, & monstris adoperta nefandis  
Contra scita patrum commenta nocentia singunt,  
Eutychis in sensum peruerso numine lapsi,  
Et cum Nestorio documenta insana souentes,  
Quorum

Quorum monstra simul miscent, & somnia in unum  
Conflant, egregij artifices, scelerumq; magistri.

QVIN etiam has spargunt uoces, mirabile dictu,  
Nos homines ortum trahere, atq; acquirere formam  
A læuo genio, cuius uiuum instar in omnes  
Imprimitur, cuius figmentum simus, opusq;  
Et quòd dira lues non sit corruptio saltem  
Materiæ nostræ, quam rerum condidit author,  
Sed res, materies ipsa, & substantia uiua:  
(Edidit hunc Manes scelerata mente furem.)  
Iusticiamq; hominis singunt ratione sinistra  
Quòd noua sit quædam confecta creatio mentis,  
In qua iusticia uiolens impressio menti  
Ingruat, & nouitas quædam, atq; infusa repente  
Gratia pectoribus, uacuos uelut humor lacchi  
Fusus in urceolos uenit, & liquoribus implet.  
Cui tamen obnitens hostili more resistat  
Mens inuita, furens contrà, auersata magistrum.  
Quæ trunco similis, sine lucta, atq; æthere cassa  
Artificem patitur, cruda, atq; ignara moueri,  
Nec prona annitens, sed & oblucta saluti.

Expectare uolunt afflatus numine ab ipso,  
Raptibus his inhiare iubent palantia corda,  
Et momenta docent incerta, ignotaq; ferri  
In melius uersæ mentis de labe priore,  
Atq; his officium uerbi tolluntq;, premuntq;  
Doctrinamq; abolent quòd sint cōmunia ad omnes  
Edita promissa, Et penitus solatia ab ægris  
Mentibus auellunt, & spes, & uota, sinuntq;

C

Ambi-

Ambiguis pendere animis, fractosq; dolore  
Tandem coniunct in certa pericula lethi.

Abducunt homines patefacto à lumine Verbi  
Ad quædam concepta intus, tacitosq; recessus  
Mentis, & in numeros redigunt discrimine certo  
Secretos quosdam cœli quibus annuit axem  
Omnipotens, secumq; Dei de mente uolutant  
Expertes uerbi ductus, lucisq; reclusæ.

Electosq; negant diuina Lege teneri,  
Nec fidas animas obstringi ut debita Legis  
Præstent officia, & se se componere ad illam  
Assuescant faciles, uitæq; imitentur in ausis.

Omnem animi uero motum, rectumuē malumue,  
Seu pugnet cum lege Dei, cum mente Fideq;  
Seu conformis eat, Tamen hunc existere motum  
Flaminis instinctu quodam, stimulisq; sacratis,

Cumq; luē admittant homines, licet ipsa reclameat  
Conscia mens, testisq; tuo sub pectore uiuat:  
Nusq; amissa tamen stet cœli gratia, & una  
Recta Fides, Flatusq; sacer: pariterq; morentur  
Propositumq; tenax scelerum, & fiducia Christi.

His & plura suo peruerso numine spargunt  
Assidue, & uerbis scelerata calumnia amaris  
Doctrinam insequitur, magna quam mole laborum  
Egregiusq; animi Lutherus, & arte Melanthon  
Insignis multa uix cœno euoluit, & umbris. (lippi,

Nam quia te aduersum docti stant scripta Phi-  
Frenum Flacce tuis furijis, & tristibus ausis:  
Excutere haec oculis, penitusq; abolere laboras,

Telaq;

Telaq; in hunc Vnum torques tua, spicula in unum  
Tendis, ut ad metam, solùm hunc euertere, & armis  
Oppugnare paras, semper contrarius illi.

SED si quando tuis seruire furoribus optas  
Lutherum eloquio præstantem, & flumine linguæ,  
Floribus ornantem sua sancta reperta uenustis:  
Mox tua detorquet uiolentia Flacce, tuisq;  
Applicat inuentis, haud quicquam tale putantem.

Verū, ubi stat dictis contrà, & latus haurit apertū  
Ense tibi: hunc contra resilis, & surgis ad iustum,  
Abiçiens commenta uiri, quibus allinis atrum  
Transuerso calamo signum, & foedo ore profaris  
Cui sit uicta situ, ueriç effœta senectus.  
Parce pium scelerare uirum, nec nomine sancto  
Prætexas culpam, & tua sordida crima Flaci.

SED quibus aut formis, aut qua uiua arte colorū,  
Te te Vertumnus, uario te Prothea uultu  
Expressum dedero, cum Stellio, & aduena, & erro  
Parte tibi constes nulla, nec sede moreris  
Defixus, stabilisq; loco: Mens errat, & umbras  
Captat, & à recto abducit miserabile uulgus  
Delusum fatuis uelut ignibus, unde reuerti,  
Et reuocare gradum, labor est, atq; arte magistra  
Maius opus: Pauci quibus est prudentia cœli  
Retrò egere pedem pedicis, Tot complicat orbes,  
Tot sinuat tortus, tot curua uolumina nectit,  
Et tot in anfractus agit, & tot cæca uiaruim,  
Scilicet argenti tremula sub imagine uiuī  
Omnia percurris latè loca, neſcius usquam

C ii Aff

Affigi, sed in igne fugax, in rebus acerbis,  
Tantū inhiāns opibus, populari accommodus auræ,  
Omnia persimilis coruo, quem Nachore cretus  
Exploratum undas caueis emisit in auras.  
Hic ego te teneo certè, nisi fallor, & istud  
Adductum placet exemplum, tuaq; ausa figurat.

Ille uagans montes, atq; alta cacumina iuxta,  
Circum aulas, circum prælustria tecta potentum,  
Ingluuiem expleuit liquefacta carne ferarum,  
Nec reuolauit enim, sefecq; recepit ad arcam,  
Arcam quæ turbā Sacri, & Christi agmen adūbrat.  
Huic color ater inest, uox fracta, unguesq; recurui,  
Et rostro informi projecta cadauera carpens  
Visceribus miserorum, & sanguine uescitur atro.

TV rostrū horrisonū, per quod mendacia Serpēs  
Eloquitur, plenusq; doli, plenusq; ueneno es,  
Quicquid habent telorum armamentaria Ditis,  
Cuncta tibi hamatæ resident in acumine linguæ,  
Nil spirans nisi cædem, & tristia monstra sacrorum,  
Quo Sathanæ proles Elimas, quo more Cainus  
Ille furit, læuoq; agitatus numine Saules,  
Nam tibi in opposito fulsit Mars corpore Lunæ  
Cum tu pullus edax infami exclusus ab ouo es.  
Tuq; Dei Nati extenuans fœdissime numen  
Dicta paras contrā: Nec tantum turba Sophorum  
Relligione sacra fundamina prima negantum  
Concepere odi, & furijs arsere nefandis  
In te Nate Dei, Quantum Arius ille, Samiq;  
Nomen habens, & tu pestis Seruete piorum,

Olim

Olim intrà caueam Nohæ, mox inde uolantes,  
Qualis Pegnesi uolitans Osiander ab urbe  
Balthica stagna subit prædator coruus, Et horum  
Succedens operi felix imitator, & hæres  
Flacius à furijs inflatus, cuius ab ore,  
Inferiore suo ceu gutture, fœda per orbem  
Excrementa uomit impurus Spiritus Orci.

Extulit hinc malus ille pedem, Sed originis huius  
Non erat; Et ludo coruus nutritus in isto,  
Coruus erat, cedensq; sua statione uolauit  
In diuersa fuga, nec amabat deinde regressum,  
Impatiens freni, simulator, litis amator,  
Prætexitq; suam Lutheri nomine culpam,  
Fax odij, tuba bellorum, contagia uulgi,  
Pestis acerba, lutum, labes, infamia secli,  
Monstrosus foetus, serpens pér uiscera cancer,  
Salsa lues, taboq; fluens, saniesq; , cruxq;  
Luridus, obscoenus, liquefactum, & putre cadaver,  
Mancipium furiarum, atq; execrabile pondus  
Quod refugit tellus, aër non accipit, æquor  
Ejicit, inuitus Sol aspicit, innuba Luna  
Sparsa pudore genas maculas contraxit ab illo  
Dum noctu uolat, & gaudet cæca atius umbra,  
Ceu nocet aspectu Basiliscus; Et ægra cruentis  
Fluxibus inducit speculis deformia puncta.

Felix qui terræ prudentes abdidit aures,  
Frigida ceu Serpens magicum auersata susurrum,  
Aut etiam cæra occlusit, uelut alter Vlysses,  
Subdola ne Siren ne uortice mergat aquarum

C iij Sedus

Seductos recti de tramite: Prona ruina est,  
Et facilis iactura animæ, quæ fortè recepit  
Confusum Flacij cantum, atq; incondita dicta.  
Nam tandem inuasit stupor, & malè prouida corda  
Duxit in abruptum, donec turbata, feroces  
Induerent animos, & crudi cuncta uocarent  
In dubium, & tristes urgerent undiq; curæ  
Ecquæ relligio rata: Quæ sententia Verbi? (mnes,  
Cui potior sit habenda fides, Qæue irrita, Ano.  
Aut prorsus pia fama Dei sit terror inanis,  
Quo freno rabidae mentes mitescere discant,  
Atq; humiles data iussa sequi, & iuga ferre cōactæ,  
Hic finis Flacij scriptorum, Hæc fata sequuntur  
Illusas animas monstro, textisq; dolosis. (uus

Hei fugite ô miseri, fugite hunc, Ferus omnia cor.  
Infausto clangore replet loca, & ore cruento  
Luce genas spoliat, uimq; infert æthere cassis,  
Infamiq; sedens tigno, & caua colla reducens  
Carnificis uelut ædituus, dat gutture crasso  
Ferales sonitus, atq; illætabile carmen.

Nec uesci licitum est, nec sanctæ imponier aræ  
Lege Dei: Necq; enim coruis locus inter Olores,  
Nulli fas falso Doctori insistere templum,  
Ejcite, ejcite, atq; adytis remouete sacratis  
Immanem uolucrem rostro qui raptat & ungue,  
Actumulo insultans inquirit in ossa Philippi  
Labe pios manes temerans, & melle referta  
Cœlesti folia, & gratum spirantia amomum  
Scripta uiri excutere, atq; oculis inhibere legentum

Appæ

Apparat artificis scelus : O cohibete furorem,  
Nec super æthereas errare licentius auras  
Prodigiale malum sinite : Aut incerta feretur  
Relligio, & secura Dei regnabit Erynnis,  
Qua cum sanguineum quatiet Bellona flagellum,  
Et mare miscebit terræ, cœlumq; profundo,  
Donec paulatim ui uicta, & mole fatiscens  
Ipsa sua, externæ pateat Germania genti  
Præda, nec incursus arcere, & fida tueri  
Tecta sua, & sobolem ualeat iam uiribus haustis,  
Ni properè medicina malo quæratur, & acres  
Extendant curas ueniens in tempus, & una  
Mente Duces, patriæ incumbant fulcire ruinam.  
Hoc agite, hoc totis Proceres incumbite neruis,  
Posthabitatis leuibus curis, & inanibus ausis,  
Ferte oculos contrâ, & mentem fata impia tangant.  
Dum pia fata sinunt, iam iam decet, ite Regentes,  
Consulite in medium, & lapsis succurrите rebus,  
Ferte citi hoc auferte malum, seruate nepotes,  
Vos ipsos, uestrasq; domos, decora alta parentum.

S E D tu sancte Pater fremitus, & inania rides  
Murmura coruorum, nocturnarumq; uolucrum,  
Sanguineasq; Stryges, Meropesq; v'lulasq; gemetes,  
Quiq; Deæ Noctis cristatus cæditur ales,  
Quiq; rotat collum ritu uertiginis lynx.  
Tot noctes uigilatæ, & tot merita alma dierum  
Æternis famæ monumentis insita florent.

O si nunc liceat præsentem cernere cœtu  
In medio, & doctas fundentei ex ore loquelas,

Attica

Attica mella, Deûm nectar, nimbosq; rosarum,  
Damnantem spinas, & callida furta notantem,  
Soluente nodos, obiectaq; texta Sophorum  
Arte extricantem dextra, genioq; sagaci,  
Quantis confoderet telis, quam fortibus armis,  
Quam doctis dictis tua monstra, & crima Flaci,  
Vimq; Ducum infernam, cædes per Gallica regna,  
Per Iola Belgarum cohiberet arundine pennæ.  
Quam multas animas, queis iam sua fata parabat  
Quæsitor Fidei Bauarum regnator in oris,  
Instanti eripuit letho, retuditq; libello,  
Herculea clava, conantem plurima frustra?  
Et quoniam arma Ducum cessant inhibere furem  
Marrani Accipitris, qui terram hanc territat armis,  
Et nusquam arma Duces tendunt opponere contrà  
Obliti decorisq; sui, sociumq; salutis:  
Hic uir, hic obijceret calamū, premeretq; cruentas  
Latronis uires conducti à Præsule Romæ,  
Non timidus uitam ipse suam profundere letho  
Quem non arma Papæ, nec fulmina dira, grauesq;  
Compressere minæ, & gelidum incussere timorem:  
Ibat enim contrà, uel si præstasset Achillem,  
Ec trifidam gemmis uittam, peruersaq; scita  
Supposuit pedibus, Decore, ac uita exuit ipsum,  
Qualiter alati premeret cum terga caballi  
Bellerophon flamas reuomentem ex ore Chimærā  
Strauit humi, cui tres animæ, triaq; ora ferarum.

Sed nunc nō calamis opus, armis uincitur hostis,  
Nos calamū, gerite arma Duces, quēis bella gerēda,

22 Jan 2002 - 7 min 1 sec Yes

Vos gladio, sed nos precibus pugnemus in hostem,  
Sic sic auratis ueniet uictoria pennis,  
Inter uota manus adhibete, negocia cedent. (escent,

SANCTA anima, ô tibi nunc quām molliter ossa quis  
Dum genero sata uirgo tuo, qui te arte Magistrum,  
Qui uirtute refert, quem fama ad sidera tollit  
Doctorum florem, lumen, stellamq; salubrem  
Humano generi, formatoremq; iuuentæ,  
Dum genero sata uirgo tuo, tua cura, tuum Cor,  
Virginei flos A N N A chori, quondā A N N A senectæ  
Sola tuæ requies, sanguis tuus, aurea lecti  
Vincula init, digna ipsa uiro, uir dignus & ipsa,  
Quem Themis edocuit sanctorum oracula Legum.

Et nunc iste quidem thalami celeberrimus actus  
Faustus in hoc ipsum fausto cadit omne tempus,  
Quo patri exequimur solennes ordine pompas,  
Virtutesq; uiri canimus, Quod semper acerbum  
Semper honoratum duplici iam nomine habebo.

O manes sentite pñj, sentite beati  
O cineres neptis tædas, & sancta diei  
Gaudia: Terra rosas hodiè tibi doce Melanthon  
Fundat, & æternum tibi Ver iam spiret in urna,  
Nec grauis incumbens lapis urgeat ossa, nec ullus  
Tristè canat Cuculus, semperq; molesta quieti  
Turba tuæ, galli obstreperi, obscœnæq; uolucres,  
Et corui in tignis infamibus oua fouentes,  
Noctuaq; hinc omnis, sacra est hæc urna, facest,  
Sed regina auium præstans P H I L O M E L A canendo  
Æternam cineri requiem, lucemq; perennem

D Occinat

Occinat huic animæ per cārmina lāeta, Tuasq;  
Si taceant homines laudes, si obliuia tanta  
Concepēre, Piæ uolucres tua facta loquentur.  
Est in eis pietas quædam, est affectio gratæ  
Mentis, & in caros reuerentia sancta Parentes,  
Candida qualis auis nigris inimica colubris,  
Dilectæ & Thetidi Halcyones, & Daulias ales  
Desplet Itym, Tum quæ uolitant ad Memnonis urnā,  
Et quæ prima auium, natoq; antiquior orbe  
Fingitur, in cerebro gestat Cassita parentem,  
Cum nusq; tumulo locus, Hinc ea uertice crista est:  
Et sic albus olor prædulci funera cantu  
Prosequitur, sancto uitam cum carmine finit,  
Vatis imago pīj Christum ipsa in morte sonantis.  
At niger implumes immitti pectore pullos  
Coruus in arua uolans aliena, atq; auius errans  
Negligit, orantes miserandūm, atq; omniū egenos  
Impius in se ipsum gelido cum corde relinquit.  
Et Cuculus matrem, matrē ipsam in uiscera mergit,  
Illum quæ furto suppostum eduxit in auras,  
Et proprijs natis parca, illi contulit uni  
Degeneri, atq; auido indulgens quod uita requirit.  
Ergo auium genus hoc immite, immane, cruentum,  
Aut furcas colit assiduè, aut arua ossibus alba,  
Quâ liquefacta lue nudantur uiscera & artus,  
Addictum furcis genus, immundisq; latebris.

SALVE sancte Pater, magne, & diuine Melanthō,  
Nam certè diuinus eras, qui commoda uitæ  
Tanta dabas generi humano, miracula tanta

Edi.

Edideras penna, quanta Amphytrione creatus  
Indomita claua, cithara Rhodopeius Orpheus.  
O quanta, & quæ morte tua sunt munera rapta.  
Cum terris ereptus eras, cœloq; ferebas.  
Vnde animā abstuleras, linquens resolubile corpus.  
SED nil morte tibi subtractum est, Omnia nobis  
Morte tua subtracta, Quies, moderatio, candor,  
Integritas, doctrina, fides, prudentia rerum,  
Quæ circum tua busta uolant, & acerbà gementes  
Mente dolent, tanto nobis concurrere motu,  
Quos una decuit nobiscum in pace manere,  
Et socias afferre manus contra agmina Papæ.  
Hi nunc bella gerunt cum Dijs, & simplice Vero,  
Totq; uirū strages, sacraq; execranda per aras  
Dictis, & factis firmant. Tu ne qua uideres  
Tristia, matura clausisti lumina morte,  
Felix morte tua: Nobis mala plurima uitæ  
Euoluenda parat furum impius ille maniplus,  
Gens quæ nondum odijs etiam exaturata quiescet,  
Donec in arma Duces committat, & arma iuuentus  
Arma fremat, calidoq; respertat sanguine palmas.  
O cohibete iras, & in ipsum uertite Papam.  
Si quid in arte boni, & sanæ quid mentis habetis.  
Viuant & ualeant scripta, aurea scripta Philippi,  
Queis nihil his terris melius, nec sanctius unquam  
Numina concessere Deūm. Nec quælibet ætas,  
Quæuis terra feret similem uerum Philippo,  
Non, si Caucasea liber de rupe Prometheus  
Ignem de cœlo suretur, & arte sagaci

D ij Ex

Ex meliore luto singat mortalia secla.

SED Tu, truncus eris, nodosus, inutile lignum,  
Quod non docta manus Phidiæ, nec Mentoris ulla  
Sculpet in effigiem, Non, si te pessime Flaci  
Artifici torno cælare, & radere tentet  
Obstipum caput, & cuneis perfindere adactis,  
Perterebrare etiam, pertundere, perq; forare,  
Materiemq; dolare, decusq; inducere formæ.

Qui sis, Icripta tibi monstrant tua, putida scripta,  
Charta tribus digna Antyciris, & putribus ouis,  
Scombris, Corycijq; croci, piperisq; cucullus.  
Et sceleratè audes tu Cedro digna Philippi  
Sie premere, & tua fœda uolumina tollere contrà;  
Carpite, ferte nothi, lacerate, excindite passim,  
Eruite, incq; uicem rapite, atq; explodite in auras  
Serpentum spolia illa, citis ludibria uentis  
Illyrici commenta, nucisq; putamen ihane.

S E D uos uiuite scripta uiri, & per docta uolate  
Ora uirum, & nostris estote nepotibus olim  
Lux tenebris, filum Labyrinthis, norma uaganti,  
In dubijsq; Sibylla, & Pallas egentibus artem,  
Socraticæ chartæ rebus, Suadelaq; uerbis.

OMNIS uox iuuenum, percussaq; uocis imago  
Mecum iteret, Diuine Melanthon, magne Melan-  
Supremū quo te alloquimur nūc accipe, salue (thon,  
Atq; uale, Diuine Melanthon, magne Melanthon,

FINIS.

g. 6700 A

AC





X 2207048





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue


Centimetres

Inches

Jo. Majoris  
rentalia anniversaria Ph. Melanthionis.

1569  
c. effigie.

Ka



(2)